EXTRACTA et RESINÆ.

Extractum Chamæmeli,
Cacuminis geniſtæ,
Gentianæ,
Glycyrrhizæ,
Hellebori nigri,
Rutæ,
Sabinæ.

In aqua diſtillata coque, exprime, cola, et ſepone ut fæces ſubſidant; deinde in balneo aquæ, ſale muriatico ſaturatæ, ad craſſitudinem pilulis fingendis aptam decoque.

Eodem balnei genere utendum eſt, ut vaporatio rite fiat, in extractorum omnium præparatione.

EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS COMPOSITUM.

℞ Medullæ colocynthidis minutim inciſæ P. drachmas ſex,
Aloës ſocotorinæ in pulverem tritæ P. unciam unam cum ſemiſſe,
Scammonii in pulverem triti P. unciam dimidiam,
Seminum cardamomi minoris in pulverem tritorum, demtis capſulis, P. drachmam unam,
Spiritus vinoſi tenuioris M. libram unam.

Colocynthidem in ſpiritu vinoſo per quatriduum digere leni calore. Tincturæ expreſſæ adde aloën et ſcammonium. His ſolutis ſpiritum diſtillatione ſepara, ut materia craſſitudinis fiat pilulis fingendis aptæ. Sub finem adde ſemina.

ELATERIUM.

Cucumeres agreſtes maturos ſcinde, et ſuccum leviſſime expreſſum trajice per cribrum ſetaceum tenuiſſimum in vas vitreum; deinde ad aliquot horas ſepone, donec craſſior pars ſubſederit. Partem tenuiorem

orem ſupernatantem effunde, et reliquam colando ſepara. Craſſiorem vero partem, quæ poſt colandum reſtat, panno linteo coopertam, leni calori ſubjice donec exaruerit.

EXTRACTUM LIGNI CAMPECHENSIS.

℞ Ligni campechenſis raſi P. libram unam.

Coque quater vel ſæpius in aquæ diſtillatæ congio uno ad dimidium; deinde liquores ſimul miſtos et colatos ad idoneam craſſitudinem decoque.

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI.

℞ Corticis peruviani in pulverem craſſum triti P. libram unam,
Aquæ diſtillatæ M. libras duodecim.

Coque per unam vel alteram horam, et liquorem effunde; qui, durante calore, ruber erit et pellucebit, ceſſante autem, flaveſcet, et turbidus fiet. Eadem aquæ menſura iterum affuſa, denuo coque, ut prius, et

et coctionem repete, donec liquor frigefactus maneat limpidus. Deinde liquores hos omnes mistos et colatos ad idoneam crassitudinem per vaporationem redige.

Hoc extractum sub duplici forma præparari debet; MOLLI ad pilulas fingendas apta, et DURA quæ in pulverem teri possit.

EXTRACTUM CORTICIS PERUVIANI CUM RESINA.

℞ Corticis peruviani in pulverem crassum triti P. libram unam,
Spiritus vinosi rectificati M. libras quatuor.

Digere per dies quatuor, et tincturam effunde. Residuum in aquæ distillatæ libris decem decoque ad libras duas. Dein tincturam et decoctum separatim cola; et hoc vaporet, illa distilletur, donec utrumque spissari incipiat. Postremo extractum resinæ misce, et pilulis fingendis aptum redde.

Eodem modo præparari debent

Extractum Cascarillæ,
Jalapii.

EXTRACTUM

EXTRACTUM SENNÆ.

℞ Sennæ P. libram unam,
Aquæ diſtillatæ congium unum.

Decoque ſennam in aqua diſtillata, addito poſt coctionem ſpiritus vinoſi rectificati pauxillo. Liquorem colatum ad idoneam craſſitudinem redige.

OPIUM PURIFICATUM.

℞ Opii in fruſtula conciſi P. libram unam,
Spiritus vinoſi tenuioris M. libras duodecim.

Digere leni calore, ſubinde agitans donec ſolvatur opium, quod per chartam cola. Diſtilla tincturam ita paratam ad idoneam craſſitudinem.

Opium purificatum ſub duplici forma ſervetur, MOLLI ad pilulas fingendas apta, et DURA quæ in pulverem teri poſſit.

NOTA.

NOTA.

Omnia extracta, dum ſpiſſeſcunt, ſæpius agitari debent.

Omnibus extractis aquoſis mollioribus paululum ſpiritus vinoſi inſperge.

OLEA EXPRESSA.

OLEUM AMYGDALÆ.

Amygdalas, vel dulces vel amaras, recentes in mortario tere; deinde prelo frigido exprime oleum.

Eodem modo exprimendum eſt

Oleum e ſeminibus Lini contuſis,
Ricini demto prius cortice,
et Sinapeos contuſis.